

• prioratus. Albertus de Caldogno, Geradinus de Villaferri. Alii
 • vero seguaces et amici dicti domini Vivarii restitui debeant in
 • bonis suis et tractari, gubernari et regi in ratione et justicia et
 • aliis sicut ceteri cives civitatis vel districtus Vincentie.

• Item quod dictus dominus Vivarius et prenominati amici sui
 • gaudere possint libere et pacifice bonis et possessionibus suis,
 • sicut supra premissum et dictum est, et quod fructus et redditus
 • eorum possint portare et portari facere ad quecumque loca vo-
 • luerint infra Veronense et Vincentinum districtum, ipsosque ven-
 • dere, alienare, permutare, dare et donare ac precium seu cam-
 • bium inde recipere et de ipso disponere pro libito voluntatis.
 • Non obstantibus aliquibus statutis, provisionibus, reformationibus,
 • consiliis, preceptis vel aliis factis vel faciendis in contrarium
 • loquentibus.

• Item quod omnes injurie et offensiones illate per dictum do-
 • minum Vivarium et amicos et seguaces ejusdem realiter et per-
 • sonaliter et quoquo modo, ratione et occasione hujus invasionis
 • et novitatis burgorum Vincentie, et tam in ipsis burgis quam alibi
 • in toto territorio Vincentie vel Verone remittantur et indulgean-
 • tur, et pro remissis et indultis habeantur eisdem. Similiter omnis
 • processus, condemnationes, banna et sententie facte vel que fieri
 • possent ex causis predictis vel aliqua earum sint casse et vane et
 • nullius valoris, et ex libris comunium Verone et Vincentie et
 • quorumcumque officialium dictorum dominorum de la Scala seu
 • comunium predictorum sine aliqua solutione pecunie debeant
 • cancellari. Similiter etiam omne debitum quocumque nomine cen-
 • seatur, ad quod comuniter vel divisim hactenus tenerentur comu-
 • nibus Vincentie vel Verone vel alteri ipsorum comunium seu
 • alicui vel aliquibus ab ipsis comunibus vel ab altero eorum, cau-
 • sam habentibus libere remittatur et indulgeatur et pro remisso
 • et indulto habeatur eisdem. Ita quod pro predictis vel eorum seu
 • alicujus eorum occasione vel pretextu, ipsi aut aliqui pro eis ullo
 • unquam tempore molestari non possint.